



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 14. Res Romæ in caussa Janseniana gestæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.
A. C. 1652.

§. XIII.

Julii Romæ Cardinalis obitus.

Postremus denique erat Julius Roma, *Attichy hist. Card.*
nobilis Mediolanensis, qui literis
appime excultus, a Paulo V. Romam
evocabatur, atque ab eodem Pontifice
Consistorialis, ut vocant, Advocatus,
postea Burghesianæ Familiæ Caussidi-
cus, ac demum utriusque Signaturæ
Referendarius, plurimumque urbium Gu-
bernator renuntiatus est: cum autem
publicis hisce officiis mira integritate
fungeretur, paulopost Romana Purpu-
ra, necnon Episcopatu Lauretano &
Recinetensi donatus est, demum ad
Tiburtinam Ecclesiam translatus, ubi-
que suæ munificentiae, pietatisque mo-
numenta reliquit. Floruit præcipue
Julius temperantiæ, pudicitiae, æqui-
tatis, ac Religionis studio. Tandem
vero die & hora, qua natus est, deci-
ma sexta Septembris anno ætatis suæ
sexagesimo octavo Romæ decessit.

§. XIV.

*Res Romæ in caussa Janseniana
gestæ.*

Jamjam die quinta Decembris anni
prioris Brouseus, Delalane & An-
granus, *Hist. des cinq Prop. Jansenis. Hist. Brov. pag. 47.*

Sæc. XVII. A. C. 1652. granus, quos undecim Galliarum Episcopi pro tuendis quinque Jansenianis propositionibus deputaverant, Romam advenere: cum autem Brousseus propter ægritudinem in Gallias reversus esset, in ejus locum Pater Desmaresius & Manessierus submissi die quarta Maij anni sequentis Romam ingressi sunt. Hos primum die vigesima quarta ejusdem anni & Mensis Hallierus, Lagotus, & Joyseus ab octoginta octo Episcopis eo ablegati sequebantur, nihilominus tamen ad nuperas Præsulum literas Innocentius jamjam die vigesima Aprilis anni prioris primam habuit Congregationem, in qua Cardinales primo inter se, postea cum ipsis Consultoribus nominatis rem secreto ventilarunt, tandem decernentes, causam esse repetendam ab examine eorum, quæ in causa Baii antea fuissent agitata: quamvis autem Jansenianis Deputatis hæc Congregatio non fuisset denunciata, nihilominus hi vix Romam appulsi, die vigesima prima Januarii hoc anno unacum Santamoreo Doctore Papam rogarunt, ut hæc controversia partibus tum voce tum scriptotenus auditis, omnibusque Scripturis mutuo communicatis, habitisque desuper disputationibus, uti in Congregationibus de Auxiliis factum, discuteretur: idem quoque petebant, Ordinis Præ-

Prædicatorum & Augustinianorum præ-
 positi Generales, oblato hanc in rem
 libello supplici: verum his reposuit Pon-
 tificex, quod Jansenii libro per Urba-
 num VIII. jam damnato, sublatisque
 difficultatibus contra ejusdem Pontifi-
 cis Bullam motis nil supersit, nisi ut
 eidem omnes obtemperarent: nul. ate-
 nus vero de auxiliis quæstiones resu-
 scitare, aut illarum Congregationum
 normam imitari, expediret, de cetero
 autem Augustini doctrina in tuto esset,
 dummodo illa ab utraque parte juxta
 Ecclesiæ sensum intelligeretur: Displi-
 cuit hoc Pontificis responsum pro tuen-
 do Jansenio deputatis Oratoribus, qui
 per Franciæ Regis Legatum summo
 Pontifici die vigesima tertia Februarii
 supplicem obtulerunt libellum, in quo
 inter cetera declarabant, se duntaxat
 impugnare gratiam Molinisticam libero
 arbitrio ancillantem, propugnare autem
 gratiam efficacem in notis hisce quin-
 que propositionibus, de cetero nil sibi
 curæ esse de Jansenio, ejusque libro:
 Postea hi Mense Martio singulos Cardina-
 les & S. Officii Consultores visum ibant,
 qui tamen hos Deputatos minus integra
 fide rem gerere censebant, eo quod sub
 specioso gratiam sufficientem Molinisti-
 cam impugnandi, & Thomisticam effi-
 cacem defendendi obtentu efficacem
 gratiam

Sæc. XVII.

A. C. 1652.

Hist. Eccles. Tom. LXII.

C gra-

Sæc. XVII. gratiam in Jansenii sensu, id est, gra-
 A.C. 1652. tiam victricem per superiorem ac rela-
 tivam delectationem tueri adlaborarent:
 ne vero privatum suum iudicium sequi
 viderentur, die undecima Julii Roma
 Cardinalis hosce Deputatos & post octi-
 duum Episcoporum Oratores adesse ius-
 sit, eisdem declarans, quod summus
 Pontifex pro discutiendis quinque pro-
 positionibus peculiarem instituit Con-
 gregationem, in qua tam hi, quam illi
 suarum rationum momenta circa præ-
 sentem controversiam scriptotenus ex-
 hiberent, ut summus Pontifex illa di-
 scutere, suumque desuper iudicium fer-
 re posset: Haud cunctanter Cleri Gal-
 licani Oratores suas tradiderunt ratio-
 nes, Janseniani vero Deputati duo ex-
 hibebant scripta, in quorum primo
 cuncta, quæ circa hoc negotium a pri-
 ma Julii anno 1649. usque ad undeci-
 mam ejusdem Mensis, hujusque anni
 gesta fuissent, enarrantes petebant, ut
 quinque propositiones in sensum Augu-
 stinianum, & erroneum distingueren-
 tur, in altero autem scripto S. Augu-
 stini doctrinam universæ Ecclesiæ au-
 thoritate confirmari ostendebant.

§. XV.

*Congregationes in hac controversia
 habitæ.*

Inte